



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

Quartum Exercitium Militare Christianae Pietatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

QUARTUM EXERCITIUM
MILITARE CHRISTIANÆ
PIETATIS.

*Brevis instructio militibus Christianis,
ad Bellum Sacrum euntibus
commendanda.*

MILES Christianus singulis diebus ter, mane, sub meridiem, & vesperi signo Crucis se muniat, & præsertim cum accingit se ad prælium; sicut faciebant Sanctus Martinus, Sanctus Georgius, & Sanctus Mauritius, qui signo hoc salutari, armati intrepidi; sicut leones ignem spirantes in hostes irruebant. Dicant ergo signantes se reverenter, attentè, & piè hoc signo salutis. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Deinde.

1. Eliciant actus fidei in Sanctissimam Triadem, & in JESUM-CHRISTUM: profitendo se velle pugnare, & mori: ut decet veros, & generosos milites Sanctæ Ecclesiæ, Catholicæ, & Romanæ: Exempli gratia: Credo in unum Deum trinum, Patrem Filium, & Spiritum

& Spiritum Sanctum Creatorem omnium: & in unum JESUM-CHRISTUM, Deum-Hominem, omnium hominum Salvatorem, pro omnibus in cruce mortuum; pro cujus gloria vellem cum ejus gratia in hoc Bello Sacro Sanguinem meum effundere.

2. Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Dignare Sanctissima Trinitas unus Deus, per nomen JESU-CHRISTI, die isto me, & omnes meos commilitones, sine peccato custodire: Miserere nostri Domine, miserere nostri: fiat misericordia tua super nos; nunc, & in hora mortis nostræ. Amen.

3. Sancta MARIA Dei Genitrix, Mater admirabilis, Sanctus Michael, Princeps militiæ cælestis, Sancti nostri Angeli custodes, Sanctus Joseph, & omnes Sancti Dei, intercedant pro nobis ad Dominum: ut nos mereamur ab eo adjuvari & salvari, nunc & in horâ mortis nostræ: Per Dominum nostrum JESUM-CHRISTUM. Et fidelium animæ, per misericordiam

Z

Dei requiescant in pace. Amen. Quibus dictis recitent reverenter Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, ad obtinendum finem optatum Belli Sacri.

Sic Milites Christiani, ter in die exercent se ad pietatem, declinentque à peccato mortali, maximè à latrocinis, impudiciis, ebrietatibus, & blasphemis.

4. Ut obtineant à Dei bonitate gratiam, moriendi in statu gratiæ; cum pauci possint Sacramentis Ecclesiæ muniri, ob defectum Sacerdotum: quotidie ad hos actus præcipuos Christianæ pietatis, assuescant, non solum milites, sed etiam Duces, ac Præfecti castrenses.

1. Credo in te Deum, unum, trinum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: utinam hanc fidem in te Deum meum Sanguine meo confirmare merear.

2. Superspero cum omni fiduciâ in te Deum optimum & omnipotentem, cujus misericordiæ non est numerus.

3. Doleo ex toto corde, quia peccavi tibi Deo meo: propitius esto mihi.

peccatori propter merita **J E S U**
CHRISTI, Crucifixi pro me. Malo
 mori pro te in hoc Bello tuo, quam
 peccare in te.

4. Diligo te super omnia propter te,
 ô infinita bonitas, Deus meus chari-
 tas mea!

5. O Divina Trinitas, in manus
 tuas commendo animam meam, cum
 Spiritu **J E S U** mei Crucifixi & mortui
 pro me. Mi **J E S U** esto mihi **J E S U S**,
 suscipe spiritum meum, Sanguine tuo
 Redemptum.

6. Trinitas Divina, Deus meus &
 omnia, miserere mei.

7. **J E S U S J E S U S** esto mihi **J E S U S**.

8. **M A R I A** monstra te meam apud
 Deum **J E S U M**. Amen.



Milites Christiani singulari cum
 fiducia invocent quotidie Reginam
 Cœli, & terræ Dominam, terribilem,
 inimicis Christi, sicut castrorum acies
 ordinata.

ANTIPHONA ECCLESIAE

Ad Reginam Matrem Regis Regum.

Salve Regina, Mater misericordiae; vita, dulcedo, & spes nostra salve, ad te clamamus, exules filii Evæ; ad te suspiramus gementes & flentes in hac lacrymarum valle, *Ergo Advocata nostra*, illos tuos misericordes oculos ad nos converte, & **JESUM** Benedictum fructum Ventris tui nobis post hoc exilium ostende; ô Clemens, ô pia, ô dulcis Virgo **MARIA**.

ψ. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix,

℞. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis Matris **MARIÆ**, corpus & animam ut dignum filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante, præparasti: da ut cujus commemoratione lætamur, ejus piâ intercessione ab instantibus malis, & à morte perpetuâ liberemur: Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Divinum auxilium maneat semper
nobiscum: & fidelium animæ per mi-
sericordiam Dei requiescant in pace.
Amen.

QUINQUE INCITAMENTA

*Ad accendendum in cordibus militum,
Ducum, & Principum Christiano-
rum, ignem divina pietatis,
ad omnia utilis.*

I.

ANte omnia semper in mente
habe Deum, unum, trinum,
omnipotentem, omnia viden-
tem, omnibus præsentem, optimum,
& justissimum, ditissimum in omnes
qui invocant illum; remuneratorem
bonorum, ultorem iniquorum: nil ita
time quam Deum habere inimicum;
nil ita desidera, quam Deum tuum ha-
bere amicum: quia felix est amicus
Dei, inimicus miser.

II.

Semper aspice in auctorem, & con-
summatorum fidei tuæ, Deum-
Hominem **JESUM-CHRISTUM,**

exinanitum, Crucifixum, glorificatum, ad dexteram altissimi: ut omnium corda, trahat ad seipsum.

I I I.

Semper Immaculatam, Virginem Dei Genitricem, Matrem admirabilem **MARIAM**, Matrem pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ Spei; Matrem Divinæ gratiæ, & misericordiæ, ac Reginam Sanctorum omnium: quam Unigenitus ejus Filius, in Cruce moriens dedit omnibus fidelibus in Matrem: accipe in tuam, ne dimittas eam; invoca, dilige, honora ut Dei Matrem.

I V.

Semper unam, Sanctam, Catholicam, Apostolicam, ac Romanam, Ecclesiam columnam & firmamentum veritatis, & Christianæ pietatis, omnium Filiorum lucis Matrem, & magistram: ejusque in primis unicum visibile caput, universalem gregis Dominici Pastorem, Christi in terris summum Vicarium, Pontificem maximum agnosce, audi, sequere, tuere usque ad mortem;

nulla potentia, te avellat à sinu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, extra quam nulla est salus.

V.

Semper memorare novissima tua, respiciens finem tuum, & sic cum Dei gratiâ labora, pugna, legitimè certa, ut merearis coronam Justitiæ recipere, de manu remuneratoris optimi, & æquissimi: firmissimè credens, quia qui creavit, & redemit te sine te, non salvabit te sine te. Etenim non erit, in te omnipotens operator salutis tuæ, nisi cum ejus auxilio, sis cooperatur Salvatoris tui. Gratia Dei tecum, vide ne in vacuum, gratiam Dei accipias, si enim non est Dei gratia, quomodo Deus salvat mundum, & si non est liberum arbitrium, in vacuum gratiam Dei recipiens, quomodo justus Judex damnat mundum? hoc brevissimum tene: nec te gratia necessitat ad bonum, nec tentatio necessitat ad malum, nec Deus impossibilia jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat ut possis: ergo perditio, tua Israël, in Deo tantummodo auxilium tuum.

DECEM VERBA

*Salutaria perpetuò recolenda ab
omnibus fidelibus.*

1. **T**RINITAS Divina, Deus meus & omnia.
2. Deus-Homo Christus **JESUS**, vita mea.
3. **MARIA** Virgo Dei-para, Mater mea.
4. Ecclesia Dei vivi, sola Catholica Romana, extra quam salus nulla.
5. Spiritualis anima, ad imaginem Dei creata in Christo **JESU** renata: hæc una salvanda.
6. Dei gratia, cum libertate humanâ, nec ad bonum, nec ad malum necessitata.
7. Judicia Dei æquissima, inscrutabilia, abyssus multa; & novissima semper memoranda.
8. Charitas, vera dilectio Dei, & proximi: pietate Eucharisticâ inflammata, vincit omnia.
9. Finalis perseverantia in sanctitate consummata.
10. Vita **Æterna**, justitiæ corona: in

Divinae Trinitatis possessione perfecta: Ecce omnia.

ACTUS DIVINI

Heroum Christianorum Victorum mundi, filiorum Altissimi, Coharedum, Regis Regum Hominis Dei
JESU-CHRISTI.

I. A C T U S.

DEo, uni, trino, omnium Principio & fini, ex toto corde adherere.

II.

IN Auctorem & consummatorem fidei Deum-Hominem **JESUM-CHRISTUM**, Crucifixum, Salvatorem omnium hominum, maximè fidelium, semper aspicere: & ejus nomen, cum omni fiducia invocare.

III.

IN diebus hujus mortalitatis, & Belli perpetui, contra inimicos Dei, Carne & Sanguine Agni Immaculati **JESU-CHRISTI**, Corpus & animum sæpissimè, spiritualiter & sacramentaliter, cibare, confortare, saginare,

CUm magno Dei auxilio, prospera mundi despiceret, nulla ejus adversa formidare: semetipsum abnegare, & vincere quotidie.

V.

CUpere dissolvi, & totum Sanguinem effundere pro Christo Deo **JESU** nostro, qui tradidit semetipsum pro nobis: & **Æternam Beatissimæ Triadis** visionem omni desiderio desiderare.

Hi sunt quinque **Actus Divini Heroorum Christianorum**, qui ad majorem gloriam **Divinæ Trinitatis**, & **Christi JESU**, atque **Ecclesiæ Dei vivi**: sua omnia, & seipsum in perfectum holocaustum consummatæ charitatis; Deo, uni, trino, consecraverunt.

His actibus **Heroicarum virtutum**; **Sancti Henrici, Ludovici, Ferdinandi, Eduardi, Stephani, Hermenigildi, Casimiri**, omnes invictissimi, ac **Christianissimi Imperatores, Reges, Principes Ecclesiæ militantis**, magnâ

gratiâ Christi, qui dat victoriam roborati, in Bello Sacro, legitimè certantes, usque in finem, de omnibus Dei & Christi JESU inimicis, triumphaverunt: & ideo à Rege Gloriæ, justitiæ coronam receperunt in Regno Dei.

His actibus Christianæ charitatis, pietatis, magnanimitatis, cursum consummemus, fidem servemus, Dei gratia, sine qua nihil possumus, roborante infirmitatem nostram; & cum illâ legitimè certantes: tantis Exemplis Sanctorum Apostolorum, Martyrum Virginum, Regum, Procerum & militum Christianorum, qui nos ad hoc Bellum Sacrum præcesserunt; & sine intermissione adhortantur, sic animum, & accendamus; ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat; sed eorum incitemur factis hæroïcis, quorum gloriamur triumphis. Sic certando, Dux Belli Sacri, Rex Regum, Christus Deus noster, victor omnium, per Crucem, semper vincet in nobis & nobiscum, qui semel vicit pro nobis.

Audiamus Apostolum JESU-

CHRISTI, debellatorem Gentium:
 „ Apparuit gratia & benignitas Salva-
 „ toris nostri Dei erudiens nos, ut
 „ abnegantes impietatem & sæcularia
 „ desideria, sobriè, justè, & piè viva-
 „ mus in hoc sæculo, expectantes
 „ beatam spem, & adventum gloriæ
 „ magni Dei, & Salvatoris nostri JE-
 „ SU-CHRISTI; qui dedit semet-
 „ ipsum pro nobis, ut nos redimeret
 „ ab omni iniquitate, & mundaret
 „ sibi populum acceptabilem, sectato-
 „ rem bonorum operum, *Tit. 2.*

Audiamus Principem Apostolo-
 rum, primum in terris Christi Vica-
 rium, & supremum totius Ecclesiæ
 militantis Ducem, omnes Christianos,
 Christi milites, ad Bellum Sacrum
 adhortantem: Magis satagite, ut per
 „ bona opera, certam vestram vocatio-
 „ nem & electionem faciatis: hoc enim
 „ facientes, non peccabitis aliquando:
 „ sic enim abundanter ministrabitur
 „ vobis introitus in æternum regnum
 „ Domini nostri, & Salvatoris JESU-
 „ CHRISTI. 2. *Can. Cap. 1.*
 Audiamus dilectum Discipulum,

quem diligebat **JESUS**; Quoniam, inquit, omne quod natum est ex Deo
 „ vincit mundum: & hæc est victoria,
 „ quæ vincit mundum fides nostra;
 „ quis est qui vincit mundum? nisi qui
 „ credit quoniam **JESUS** est Filius
 „ Dei. 1. *Joa.* 5.

Audiamus ipsum Verbum Increatum, & Incarnatum; quod erat in principio ab Æterno, Verbum quod erat apud Deum, Verbum Deum, per quod omnia facta sunt, & quod ipsum Caro factum est, & habitavit in nobis, conceptum de Spiritu Sancto, natum ex **MARIA** semper Immaculatâ, semper Virgine Dei Genitricæ: Quid dixit Verbum illud Caro factum? Quod Apostolis dixit, omnibus
 „ Christianis dicit: Exemplum dedi
 „ vobis, ut quemadmodum ego feci,
 „ ita & vos faciatis; non est servus melior Domino suo, si me persecuti sunt
 „ & vos persequentur; oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam
 „ suam. Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud; contendite intrare per angustam portam: in mundo pressuram habebitis;

¶ sed confidite ego vici mundum. Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.

Denique hæc dicit Rex Regum Dominus dominantium, primogenitus mortuorum, victor omnium per Crucem, magnus Dux exercituum Dei vivi: Qui habet aurem audiat, Verbum glorificatum, hoc omnibus dicit: *Quis vicerit faciam illum sedere mecum in throno meo; sicut & ego vici, & sedeo cum Patre meo in throno eius.*

Divina Trinitas, per JESUM, Deum-Hominem Salvatorem meum, & Virginem Dei Genitricem MARIAM, omnium electorum Matrem, in horâ mortis meæ, viatico Eucharistico, sic roboram me: ut te donante, omnia vincam; & te Deum, verum, vivum, unum, trinum, optimum, in Æternum, videam, diligam, possideam. Hæc fit tot laborum, expeditionum & præliorum merces magna nimis.

Hæc militiæ Christianæ clausula, ac consummatio: hæc generosorum Christi militum corona: hic esto felix exitus, atque optatissimus, Belli Sacri

FINIS.